

St.-A. Bern.

461.

Joachim Vadian<sup>1)</sup> an Berchtold Haller.*St. Gallen. 1526. Juni 13.*

Freude über den Erfolg Hallers bei der Disputation zu Baden.  
Mahnung zum Ausharren in der Verkündigung des Evangeliums.

Salve, Berchtolde amantissime. Eximium trophæum<sup>a)</sup> et spolia ampla retulisse te e Badensi disputatione omnes clamant et congaudent præter opinionem id Eccio sophistæ obtigisse, ut quem tanta confidentia velut victum traxit in arenam, ab eo ipso sit omnium calculo non victus modo, verum etiam pudefactus. Spes nobis est, gratiorem te tuis futurum, quam prius unquam. Non committe<sup>b)</sup> (oro te per Christum), ut ullis ullorum contumeliis vexatus locum deseras enuntiandi<sup>c)</sup> evangelii. Deus finem dabit prosperum tantillis motibus. Dura igitur fortiter et patere. Vale in Iesu Christo. Omnia tibi narrabit Christannus noster bona fide, quæ te scire cupio. Apud S. Gallum, Eidibus Iunii, Anno MDXXVI.

Tuus *Ioachimus Vadianus.*

Domino Berchtoldo Hallero, apud inclytam Bernensium civitatem, episcopo vigilantissimo suo.

a) „e“ für „æ“. — b) „comitte“. — c) „c“ für „t“.

1) Vgl. I, Register unter « Vadianus ». — Das Original liegt im Staatsarchiv Bern, XII, Miscellanea Theologica Ecclesiastica cum Epistolis. 38. Nr. 60.

II 272.

462.

Berchtold Haller<sup>1)</sup> an Vadian.*Bern. 1526. Juni 20.*

Dank für den Brief Vadians. Bericht über die Disputation in Baden. Lob Oecolampads.  
Verweisung auf den Bericht von Christian (Fridbolt).

Salve, doctissime Vadiane. Nihil unquam mihi hac rerum vicissitudine tuis literis gratius accidere potuit, maxime cum non solum eruditionis sed et spiritus sint plenissime. Facit cruda mei ingenii tenuitas, ut, etsi animus semper desideret<sup>a)</sup> quibusvis doctis calamo coram adesse, parcior tamen sim, quam deceat. De tragœdiis<sup>b)</sup> Badensibus nihil te obtundam. Eram ego de pusillo grege, nonnihil ob tot doctorum<sup>c)</sup> insignium scilicet præsentiam animo consternatus. Sed dominus dabat eloqui cum fiducia, quæ illi placebant. Mecum captiose agebatur, ut interim domi persensi, super confessione carnis et sanguinis in pane et calice, atque ex eo etiam coniecturare poteris, quod disputationem trium arti-

culorum negabant et iam negasse videri nolunt. Filii huius sæculi ut sua prudentia, ita nos nostra simplicitate utebamur. Sed nimirum in dei gloriam omnia cessura sunt, ubi disputata in lucem venerint. Tam candide discussit omnia candidus ille Oecolampadius. Berna semel cecidit; sed hoc lapsu graviore iam factum est, ut fortius resurgat fortiusque statura sit, quam hactenus unquam. Cristannus noster, quæ apud<sup>d)</sup> te de nostratibus desiderantur<sup>a)</sup>, omnia abunde referet. Interim age, ut soles, consulem Christo dignum atque eius negotium<sup>e)</sup> tibi impense commendatum adserva. Post reditum meum a Baden tertio<sup>e)</sup> ad contiones<sup>e)</sup> vocatus sum et nunc quarto a senatu plebeque urbis vocor. Vocationi parebo, quoad usque proscibar; tum licebit et te et alios fratres invisere. Interea vale valeatque recte tota Gallensium ecclesia. Bernæ, 12 Kalendas<sup>f)</sup> Iulias, anno MDXXXVI.

*Bertoldus Hallerus, ex animo tuus.*

Ioachimò Vadiano, christianissimo Sangallensium consuli, domino et fratri suo (in)primis observando.

a) „desyd-“. — b) „e“ für „æ“. — c) „doctaurum“. — d) „aput“. — e) „c“ für „t“. — f) „Cal-“.  
1) Vgl. III, Brief 434.

463.

XII 271.

Ulrich Zwingli<sup>1)</sup> an Vadian.*(Zürich. 1526.) Juli 3.*

Übersendung der Acten von der jüngsten Tagsatzung. Mahnung der Kaiserlichen, dem König von Frankreich keinen Anlass zum Friedensbruch zu geben. Benehmen Fabers. Nachrichten über Berchtold Haller in Bern. Empfehlung eines Jünglings. Wunsch nach einer mündlichen Unterredung.

Gratiam et pacem per Christum. Accipe, clarissime Vadiane, rerum, quas te nunc scire refert, capita. Comitii ad exitum Iunii habitis hæc acta sunt, si forte minus fideliter omnia (retulerint) legati vestri. Monuerunt Imperatorii, ne Helvetii occasionem dent Galliarum regi violandę pacis, atque hac monitione volunt honori suo consultum.

Faber petiit et obtinuit literas ab Helvetiis, quibus testantur ipsum strenue<sup>a)</sup> ac fideliter rem gessisse, id vero apud multos principum; quo scilicet facilius intellegas pecunię collectionem, quam non modo episcopi et abbates formicarum ritu coacervarunt, sed principum etiam nonnulli.

Idem Faber pro publica contione<sup>b)</sup> liberavit Helvetios iudicio disputationis<sup>c)</sup>; nihil enim opus habere iudice, quę olim sint ab ecclesia